DE
NASI AD CEREBRUM
RATIONE PATHOLOGICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ET D. XXIX. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII

PUBLICE DEFENDET

CHRISTIANUS WIELER

NOVESIENSIS.

OPPONENTIBUS:

HENR. BIER, med. et chir. cand.
ARMIN. ROMBERG, med. et chir. cand.
MAX. LEIDESDORF, med. et chir. Dr.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

FRIDERICO NASSE

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI INSTITUTI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

MELIUS DE SE MERITO, QUAM UT DEBITAS IPSI GRATIAS UNQUAM IUSTE PERSOLVERE VALEAT,

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

JOSEPHO WIELER

AVUNCULO CARISSIMO

GUILELMO HÜSEN

DOMINO SUMME REVERENDO

GUILELMO GRASS,

RERUM DIVINARUM APUD BUSCHBELLIANOS MINISTRO,

VIRIS

ANIMO NUNQUAM SATIS PIO SIBI COLENDIS,

PRIMAS HASCE STUDIORUM FRUGES,

TESTIMONIUM ANIMI PII GRATIQUE,

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

Nostris temporibus reservatum fuit, cerebri morbis lucem affundere clariorem. Splendent in medicinae literis egregia Abercrombii, Brightii, Lallemandii, Rostanii, Andralii, Burdachii, Rombergii, Neumannii aliorumque doctorum medicorum scripta. Sed quamquam tam multa tamque praeclara ab illustribus hisce viris praestita sunt, multa tamen praestanda adhuc restant. Quamobrem gratissimum mihi fuit, illustrissimum Professorem Fr. Nasse, quum ex eo, de qua scriberem, materiam dissertationis inauguralis peterem, attentum me fecisse rationis, quam cum cerebro nasus habeat, atque eo lubentius hoc argumentum sum amplexus, quum mihi Vir ille clarissimus non solum, quibus potissimum uterer libris, indicaret, verum etiam quae ex ditissimo suae ipsius experientiae thesauro huc pertinerent, se mecum communicaturum esse polliceretur.

Tres partes sunt, in quas dissertationem divisi, in quarum priore agam de signis, quae ex naso ad cerebri morbos cognoscendos depromi possint, altera, quatenus nasus ad prognosin in cerebri morbis statuendam, tertia, quatenus nasus ad efficiendos cerebri morbos faciat.

I. *Pars diagnostica.*

Cerebro non perfecte evoluto nasus saepius monstruosus, septi expers atque uno tantum orificio instructus [1]) vel

1) Otto, Monstr. sex disquisit. p. 14.

cylindri [2]) rostrive [3]) in modum formatus vel valde latus, uti in plurimis hemicephalis [4]), observatur.

Pars superior et ossa nasalia impressa, ita quidem, ut radix nasi cum osse frontis arcum excavatum constituat, cartilaginea vero pars nasi eminens atque lata, saepe recurva, nares amplae et magnae in cretinismo atque amentia observantur. [5])

Nasus ad radicem contractus et apice acuminato in mania occurrit. [6])

In spasmis cerebralibus hydrocephali acuti nervosi in initio nasus fit acuminatus et simul regio super alas narium retracta, ita ut nasus obstructus [7]) videatur; ad hoc accedit pallor faciei, in naso genisque flavescens, circa os et oculos livescens, unde facies colorem cadaverosum, figurae cereae haud dissimilem induit. [8])

In secundo hydrocephali acuti stadio nares modo coarctatae modo dilatatae apparent. [9])

In unaquaque gravi cerebri functionum affectione, ut

---

2) Proschaska, Disquis. organismi c. h. p. 151.

3) Eller in: Ac. de Berlin 1754. p. 112. Rebsamen in: Schweiz. Zeitschrift. B. II. H. I.

4) Burdach, Vom Baue und Leben des Gehirns III. p. 80.

5) Michaelis apud Iphofen: Der Cretinismus, philosophisch und medicinisch untersucht. Dresden 1817. 2r. Thl. Foderé F. C. Essai sur le goitre et le crétinage. Lavater's physiogn. Fragmente. Thl. 2. p. 182—184.

6) Esquirol apud Hill. p. 425.

7) Clarus (der Krampf. Leipzig. 1822. I. p. 45.) monet, curatrices hanc rem pro coryza habere neque notatu dignam putare, sed iniicientes lac maternum butyrumve maioranae illinentes ex suo ipsarum more tractare consuevisse, dum ex hoc uno symptomate spasmi vehementes appropinquaturi praevideri et hanc ob causam praecaveri possint.

8) F. Iahn, Versuche für die practische Heilkunde. I. Heft. Eisennach. 1835. p. 16.

9) Goelis, Kinderkrankheiten I, 29.

apoplexia, lethargo etc. motus nasi cessant; in apoplexia unius lateris in uno tantum latere auferuntur. [10])

Nasus subruber in melancholia occurrit. [11])

Nasus aequabiliter tumidus, ruber, nitidus, calidus, praesertim in inferioribus partibus mollibus vehementiores ad caput congestiones indicat atque etiam apud apoplecticos observatur. [12])

Rhinalgia premens, obtusa ad nasi radicem signum vehementiorum ad caput congestionum. [13])

De gravedine supra nares a pure ad os ethmoides delato Bonetus [14]) hunc narrat casum. Quidam vulneratur in occipite succedente rima patente et coeca; male a chirurgis tractatur. Die 9. febris oritur; 40. moritur. Aperitur cranium, et inter secandum copiosissimum pus ex naribus reiicitur, materia per vulnus expurganda ad os ethmoides delata, unde etiam de gravedine supra nares conquestus fuerat.

Dolor obtusus, gravis premensque ad nasi radicem in initio febris nervosae una cum capitis dolore non raro occurrit. [15])

Si sapor perversus continuo sine ulla distinguenda perversa membranae mucosae secretione, verum tamen simul cum odore perverso est coniunctus, diffiteri haud possumus, huius causam in quinto pari esse sitam. Multo saepius tum hebetudo vel plena abolitio gustus simul et odoratus, quam perversitas utriusque observatur, quamquam huius quoque rei exempla occurrunt. Tum utique causa in cerebro sita esse potest, etsi hic casus rarus. Dubitari autem non iam

---

10) H. Cloquet, Osphrésiologie. 2. Edit. Paris. 1821. p. 220.

11) Esquirol apud Hill. p. 294.

12) Küttner, Phaenomenologie. II. 113.

13) Ibid. II. 128.

14) Sepulchret. I. I. obs. 41.

15) Sprengel, Semiotik. §. 743.

possumus, quin in cerebro sit sita, si vesaniae symptomata simul apparent. Atque etiam si sensus perversus non continuo perstat, sed interdum tantum occurrit, porro si sensus perversus non solum inter vigilandnm, verum etiam inter somniandum aegroto molestus est, omni iure eum pro cerebri morbi signo habemus. 16)

In nonnullis casibus hydrocephali chronici interni Goelis in primo et secundo morbi stadio olfactum spurium invenit. Aegroti de fumo, linteo urente, caseo putrido etc. querebantur. 17)

Olfactus perversus in capitis laesionibus. 18)

Wierus 19) narrat de coniuge, melancholiae patiente, quae maritum sulphur et picem redolere acclamabat, P. Forestus de sacerdote vesano sulphur odorante.

Amens quidam oleo atque urina lavari amabat, urinam potabat atque de Nicotianae odore querebatur. 20)

Ipse observavi puellam maniacam, quae saepius, si cum curatrice sola erat, Nicotianae fumum se odorari arguebat, nemine in vicinia hunc fumum sugente.

Vesana accusabat odorem cadaverosum, quamquam variorum corporum odores eodem tempore aeque bene atque ante morbum distinguebat. 21)

Abscessus in corpore calloso effecit odorem cadaverosum continuum. 22)

Perceptionem foetoris interni cum deleto ceterum odoratu Jos. Frank 23) observavit in femina, cuius super os

---

16) Neumann, Krankheiten des Gehirns des Menschen. 111—112
17) L c. II. 35.
18) Pelargus, Medicin. Jahrgänge V. Bd. p. 151.
19) De praestig. daemon. Lib. III. c. 7. §. 6.
20) Bird in: Friedrich's Magazin. Heft 8. p. 36.
21) Leuret, Fragmens de la folie. p. 198.
22) Fr. W. Hagen, Die Sinnestäuschungen in Bezug auf Psychologie, Heilkunde und Rechtspflege. Leipz. 1837. p. 169.
23) Prax. med. Part. II. vol. I. sect. I. pag. 186.

cribrosum steatoma magnitudine castaneae nervos olfactorios extenuatos amplectens inveniebatur.

Oblectamentum in odoribus foetidis praecipue maniaci, hystericae et puerperae percipiunt. [24]

Foetor per nares et os exhalans ex vermibus in cerebro. [25]

Hyperosmia signum est conditionum cerebri irritatarum febriumque inflammatoriarum, in quibus cerebrum afficitur; comitatur cerebri morbos et chronicos et acutos, praesertim inflammationem et phrenitidem. [26]

In nonnullis cerebri inflammationibus odoratus est valde acutus. [27]

Meningitide laborantes tenuissimam materiam olfactoriam percipiunt atque ex odoribus, quos imaginantur tantum, in verum delirium incidere possunt. [28]

Hyperosmia magna in encephalitide parenchymatosa. [29]

In nonnullis hydrocephalo chronico interno aegrotantibus, quorum capita iustam semper magnitudinis rationem servabant, Goelis morbo ineunte odoratum observabat acutissimum, qui morbo progrediente imbecillior factus in ultimo stadio prorsus interiit. [30]

Ineunte hydrocephalo chronico interno odoratus haud raro acutissimus. [31]

Odoratus acutissimus in hydrophobia. [32]

Anosmia signum est cerebri compressi aut virium ex-

---

24) Ibid. Part. II. vol. I. sect. II. p. 959.
25) Sennert. Pract. med. Lib. I. P. I. cap. 18.
26) Albers, Lehrbuch der Semiotik. Leipzig 1834. p. 328.
27) Cloquet l. c.
28) Ibid. 749.
29) Iahn l. c. 11.
30) l. c. II. 22.
31) Ibid. II. 35.
32) Sprengel's Semiotik. 340.

pertis, [33]) sanguinis ad caput congestionem, [34]) encephalitidem [35]) apoplexiam [36]) indicat. Saepius in typho stupido observatur monente Henkio. [37])

Odoratus abolitio originem debet cerebri hypertrophiae, [38]) cerebri suppurationi, [39]) abscessui in processibus mammillaribus, [40]) lapidi in basi encephali, [41]) cariei ossis ethmoidei, [42]) tumori scirrhoso in basi cranii, [43]) hydatidibus cerebri, [44]) fungis durae matris, [45]) ictui per os ethmoideum in interiorem posteriorem partem lobuli anterioris sinistri penetranti, [46]) hydrocephalo chronico interno congenito. [47])

In tertio hydrocephali acuti stadio omnes sensus externi, auditu excepto, hebescunt vel prorsus intereunt. [48])

In omnibus infantibus hydrocephalo chronico interno affectis, quorum capita contra normam parva erant, Goelis

---

33) Albers l. c. 329.

34) Sprengel l. c. 341.

35) P. Frank, De curand. hom morb. epit. Viennae Austriae 1810. Lib. II. 32.

36) I. B. Fischer, De senio tract. p. 159.

37) Patholog. II. 93.

38) Andral, Clinique médicale. Tom. V.

39) De Roose in: Verhandelingen van het genootschap te Antwerpen.

40) Bonet. sepulchr. Lib. I. Sect. XX. Obs. I.

41) Ibid. Obs. 4.

42) Ballonius, Paradigmata. N. 7.

43) Loder, Anatomica observatio etc. Jena 1779. 4. cf. Eust. Rudius de usu totius corp. humani. 1588.

44) Rendtorf, De hydatidibus. Berolini 1822. 36. et Marrah in: Med. chirurg. transact. XI. 260.

45) Arvers in: Bulletin de la fac. med. de Paris. 1815. Nro. 1. pag. 260. et Hill p. 89.

46) Larrey's medicinisch-chirurg. Denkwürdigkeiten II. p. 153.

47) Goelis l. c. II. 15.

48) Ibid. I. 39. cf. p. 62.

nullum praeter tactum sensum evolutum et efficacem observavit. [49]

Progrediente hydrocephalo chronico interno olfactus perit. [50]

Pruritus narium in primo meningitidis stadio, [51] in secundo hydrocephali chronici interni, [52] in tertio hydrocephali acuti [53] occurrit.

Die 18. post vulnus sclopetarium in latere dextro ossis frontis continua narium titillatio et cephalaea; paucis post diebus mors. Sub dura matre pus usque ad os cribrosum profusum atque in lobulo anteriore dextro abscessus. [54]

In stadio tertio hydrocephali acuti aegroti digitum indicem alte et tam ruditer in nares intrudunt, ut saepe epistaxis, attamen haud levatoria, sequatur. [55]

Sternutatio indicat sanguinis ad caput congestionem, [56] cerebri inflammationem, [57] laesiones capitis cum depressione, [58] in recens natis post partum difficilem ossa cranii compressa vel sugillationem sub cranio, [59] vermes in cerebro, [60] indurationem in cerebro (medulla oblongata, pons,

---

49) L. c. II. 21.
50) Ibid. 35.
51) Burdach, l. c. III. 80.
52) Goelis l. c. II. 45.
53) Brachet, Essai sur l'hydrocephalite. Paris. 1818. p. 68.
54) Schmucker's vermischte chirurg. Schriften. Frankenthal 1788. II. Bemerk. 40. p. 312.
55) Goelis l. c. I. 38. cf. Iahn l. c. p. 20.
56) Sprengel's Semiotik 256; Storch's Kinderkrankheiten I. 417.
57) Albers l. c. 528.
58) Eph. nat. cur. Dec. I. ann. 3. obs. 138; porro Wagner in: Loder's Iournal IV. 76.
59) Storch l. c. p. 415. Naumann, Handbuch der medicin. Klinik. II. p. 419.
60) Sennert l. c. I. part. I. c. 18.

thalami nervorum opticorum, corpora striata et lobuli posteriores indurati). 61)

Quatuor hebdomades post vulnerationem lobuli anterioris sinistri cultro per cranium intruso frequens ac per longius tempus durans sternutatio sine dolore. Die 76. mors. Hemisphaerii sinistri substantia corticalis et per nonnullas lineas substantia medullaris in pus mutatae. 62)

Siccitas narium sanguinis ad caput congestionem, 63) meningitidem et encephalitidem 64) indicat.

In mentis alienatione universali secretio muci nasalis plerumque cessat. 65)

Secretio muci nasalis diminuta sine vehementi nasi pruritu iam in primo hydrocephali acuti stadio animadvertitur, quae per sequentia stadia simul cum odoratu prorsus aboletur. Hoc symptoma multum facit ad distinguendum hydrocephalum acutum a febri verminosa. In hac enim superficies nasi interna semper est madida, muci secretio normalis, odoratus saepe adauctus aegrotique semper de pruritu narium vix tolerabili queruntur. 66)

In hydrocephalo chronico interno Goelis internam nasi superficiem fere semper siccam et raro tantum cum Wigandio (Eius Reise pag. 81.) muco tenaci et fuliginoso obtectam videbat. Acriora quoque irritamenta sternutationem quidem periculosam dolentemque, numquam vero muci ex naso effluxum efficiunt. 67)

---

61) Marcat in: Hist. de l'acad. des sciences à Montpellier I. p. 334; porro Meckel in: Ac. de Berlin 1764. p. 69.

62) Schmucker's vermischte chirurg. Schriften I. Beob. 24.

63) Küttner, Phaenomonologie II, 130.

64) Burdach l. c. III 80.

65) Medicinische Untersuchungen und Beobachtungen über die Seelenkrankheiten v. Dr. B. Rush. Teutsch bearbeitet v. Dr. G. König. Leipz. 1825. p. 116.

66) Goelis l. c. I. 62. Cf. ibid. I. 29. Brachet l. c. 86. et Jahn l. c. 20.

67) Goelis l. c. II. 34.

Rhinostegnosin in suppuratione cerebri Mursinna[68]) et Pfeufer[69]) observarunt.

Catarrhum saepius repetitum Caldani[70]) vidit in suppuratione hemisphaerii dextri.

Vicissitudinem frequentiorem gravedinis et vertiginis unamve saepius cum altera coniunctam semper cerebri vim diminutam indicare, quamobrem apud homines masturbationi indulgentes neque procul a tabe dorsuali remotos observari clarissimus Professor Naumann docet.

Epistaxis quandoque ex cerebri vitiis pendet idque maxime apud infantes et senes. Pulsus tunc saepe lentus est sanguisque ex utrisque naribus indistincte et plerumque simul manare solet.[71])

Epistaxis signum est diagnosticum in omnibus cerebri morbis, cum sanguinis ad caput affluxu coniunctis.[72])

Cranii fractura, ossis circa sinum falciformem depressio,[73]) compressio cerebri,[74]) vasorum capitis varicositas[75]) eorumque, ut clarissimus Professor Nasse docet, diruptio epistaxin efficiunt.

Epistaxin primis morbi diebus exorientem, non copiosam, saepius nonnullarum tantum guttarum, interdum duntaxat frusta rubra fluida aut subnigra et globosa exscreata Chomel[76]) inter certa dothienenteritidis signa numerat,

68) Eius Medicinisch-chirurg. Beobachtungen. Berlin. 1782. p. 23.

69) Henke's Zeitschrift für die Staatsarzneikunde. 1822. 3. Vierteljahrheft. p. 88. Cf. H. Hoffmann in: Harless, Neue Jahrbücher der deutschen Medic. und Chirurg. 2 Supplementbd. Hamm, 1827. p. 61 et 62.

70) Italienische medicinisch-chirurg. Bibliothek. Herausgegeben von C. G. Kühn und Carl Weigel. I. St. II. p. 162.

71) J. Frank, Prax. med. Part. II. vol. I. sect. II. p. 1012.

72) Albers l. c. 326.

73) P. Frank, Epitome. Lib. V. pars II. p. 73.

74) Schmalz, Versuch einer medicinisch-chirurg. Diagnostik. 4. Aufl. p. 351. und Chelius Handb. der Chirurgie. 3. Aufl. I. p. 165.

75) P. Frank l. c. Lib. V. pars. II. p. 74.

76) Ueber die Typhusfieber; deutsch v. Behrend Leipzig 1835.

quod quidem symptoma eo gravioris momenti esse indicat, quum etiam apud eos observetur, qui antea nunquam epistaxi laboraverant. Si in casibus dubiis symptomatis gravioribus reliquis absentibus semel vel pluries epistaxis oriatur, secundum Chomel hoc solum symptoma saepe ad veram morbi naturam cognoscendam sufficit.

Rhinophonia in hydrocephalo acuto [77]) et in chronico interno [78]) observatur.

Tussis cum hydrocephalo acuto incipiente conveniens singularis est indolis: sonat per nasum. [79])

II. *Pars prognostica.*

Obliquitas nasi subito aut sensim exorta, praesertim si cum oris distorsione est coniuncta, saepe apoplexiam praegressam vel in universum hemiplegiam faciei indicat atque in hisce casibus semper signum est maxime infaustum, ita ut iam Hippocrates eam mortis nuntiam nuncupaverit. Ceterum tamen interdum melius praesagium admittit, quum etiam signum sit epilepsiae inveteratae. [1])

Pinnae narium compressae incipientem paralysin musculorum faciei indicant, a quibus narium pinnae diducuntur, frequenter apoplexiam imminentem significant. [2])

Alae narium collapsae inter prodromos apoplexiae observantur. [3])

---

77) Goelis l. c. I. 38. et Jahn l. c. 20.

78) Goelis l. c. II. 36.

79) Kopp, Denkwürdigk. in der ärztlichen Praxis. 1830. I. p. 200.

1) Küttner, Phaenomenologie. II. 127.

2) Van Swieten, Commentar. in Boerh. aphorism. 1020. Tom III. p. 293.

3) I. Copland, Encyclopäd. Wörterbuch der praktischen Medicin. Uebersetzt von M. Kalisch. Berlin 1834. I. 189.

Si nasus infantum subito fit acuminatus, saepe spasmi cerebrales insequuntur; apud epilepsiae obnoxios novum insultum epilepticum atque apud parturientes et puerperas eclampsiam praenuntiat. [4])

Nasus acuminatus cum pallida, frigida et collapsa facie haud raro apoplexiam nervosam antecedit. [5])

Intumescentia nasi rubra et calida in febrium stadio cruditatis occurrens, saepe delirium, lethargum, inflammationem cerebri, apoplexiam praesagit. [6])

Rubor et calor nasi partiumque adiacentium una cum venis nasi tumidis interdum delirium et phrenesiam portendunt. [7])

Hoc autem nuperrima observatione ipsi edocti novimus, nasum in maniacis, dum sibi animo paululum constant, subito intense rubescentem maxime imminentis furoris esse praenuntium. [8])

Nasum lividum in typho bellico occurrentem Dr. Kraft certum mortis esse nuntium ait; [9]) sed Dr. Wendelstaedt [10]) casum narrat, in quo naso quamvis livido sanitas successit.

Calor nasi in morbis acutis delirium, convulsiones, lethargum, apoplexiam praesagit. [11])

Frigus nasi interdum ante insultum epilepticum observatur. [12])

Feminam vidi, ait Tissot, quae insultum epilepticum

---

4) Küttner l. c. II. 129.
5) Schmalz l. c. 352
6) Küttner l. c. II. 113.
7) Cloquet l. c. 220.
8) Ph. Meieri dissert. de signis nonnullis ex naso et olfactu in: M. Hasperi novus thesaurus semiotices pathologicae. Vol. I. Lips. 1825. p. 457.
9) Hufeland's Journal 1815. Julistück p. 115.
10) Ibid. 1816. Novemberstück p. 131.
11) Küttner l. c. II. 124.
12) Tissot, Traité de l'épilepsie p. 128.

plerumque decem horas praesagire poterat, quippe quum semper regio super nasum et inter supercilia intense rubesceret. [13])

Clarus in puella iuveni, quae quum menstrua provenirent, catalepseos insultibus saepius repetitis fuerat obnoxia, quotiescunque insultus appropinquaret et priusquam puella ipsa remotissimam affectionem sentiret, cutis regionem circa frontem, oculos et nasum non solum tensam, sed etiam circumscripte pallidam animadvertebat. [14])

Fuligo narium in cerebri morbis magnum semper vitae periculum indicat. [15]).

Olfactus laesionem potest sequi carus, apoplexia, epilepsia. [16])

Quando aeger in morbis acutis odores non consuetos sentit odorabili re nulla praesente, qualis est odor piscium, luti, butyri aut similium et mala signa adsunt, mors imminet teste Avicenna.

Foetor insultus epilepticos praecedit, [17]) haud raro violarum odor est prodromus accessionis.

Sensum odoris insoliti apoplexia sequi potest. [18])

Potatores si adeo contra consuetudinem pulvere Nicotianae uti incipiunt vel ex aliis saepius hunc pulverem petunt, timendum est, ne propediem delirio tremente corripiantur. [19])

Olfactus diminutus multis in casibus inter apoplexiae prodromos observatur. [20])

---

13) Ibid. p. 171.

14) Clarus, Der Krampf. p. 46.

15) Albers l. c. 270 et 325.

16) Sennert l. c. Lib. I. p. 939.

17) Aretaei opera. Ed. Kühn pag. 2. Morgagni de sed. et caus. morb. Epist. 14. Nro 28.

18) Copland l. c. I. 189.

19) Küttner l. c. II. 281. (Schnupflust).

20) Bompard, Betrachtungen über einige Krankheiten des Gehirns. Aus dem Franz. von Vezin. Osnabrück. 1830. p. 40.

Anorexiam P. Frank [21]) inter prodromos encephalitidis numerat.

Berends docet, anosmiam subito exortam, praesertim si prius olfactus acutior fuerit, apoplexiam appropinquantem indicare. [22])

Olfactus peracutus in febribus acutis delirium praenuntiat. [23])

Morbo incunte olfactus acutus signum est catarrhi vel conditionis cerebri irritatae, quae inflammationem eius et phrenitidem antecedit. [24])

Olfactus acutissimus fit visque eius sentiendi celeriter et insolite adaugetur, si cerebri membranarum inflammatio est inceptura. Apud infantes, huic inflammationi facillime obnoxios, ad symptomata, quae eius accessionem produnt, gravissima pertinet, si de vehementibus, ingratis odoribus queruntur idque eo magis, quum infantes plerumque parum tantum facultatis odorum percipiendorum possideant hicque sensus una cum pubertate demum revera evolvatur. Quo facilius fieri potest, ut infantum inflammationes cerebri cum gastrosi commutentur neque prius quam exsudatione iam facta cognoscantur et raro tantum auxilium ferri queat: eo accuratius studiosiusque de primis signis certis et distinctis periculosae huius conditionis attendamus oportet. Si igitur praesertim in eiusmodi morbis, qui facile in cerebri inflammationem transeant, quales sunt febris scarlatinosa, erysipelas faciei, aegrotus subito de variis miris et vehementibus odoribus queritur, nulla re externa, unde prodeant, praesente, inflammationem cerebri imminere pro certo statuere hancque facile avertere possumus. [25])

---

21) Eius Epitome. Lib. II. p. 32.
22) Meieri dissert. citat. p. 468.
23) Sprengel l. c. 340.
24) Albers l. c. 328.
25) Neumann, Krankheiten des Gehirns. p. 112.

Narium pruritus si quis febribus acutis supervenit, delirium vel haemorrhagia narium praesagienda. [26])

Cephalalgiam arthriticam, quae per longius tempus durans vertiginem, soporem, qui adeo in apoplexiam transire potest, efficit, interdum pruritus narium praecedit. [27])

Si infantes, priusquam variolis afficiantur, saepius sternutant, Storch [28]) multas variolas in naso et circa confinia cerebri erupturas infantesque postea periculose inde perpessuros esse concludit.

In scarlatina iam tempore eruptionis sternutatio vehemens continua cerebri affectionum timorem excitat. [29])

Copiosior, frequentior, violentior, sine causa manifesta crebro repetens sternutatio est mala et interdum lethalis; graves nervosi systematis affectus epilepticos, aut convulsivos aut in aetate grandaevi apoplecticos et paralyticos portendit. [30])

Cephalalgiam arthriticam interdum sternutatio frequens praecedit. [31])

Sternutatio frequens apud homines apoplexiae obnoxios imminentem huius morbi accessionem [32]) atque ita quoque initium aut finem insultus epileptici [33]) praenuntiat.

In febribus nervosis sternutatio plerumque gratum est symptoma. [34])

---

26) Gruner, Semiotice. Halae 1775. p. 583. Cf. Fienii Semiot. Lugd. 1664. p. 37.

27) Duringe, Monographie der Gicht. Deutsch herausgegeben von Fitzler. Ilmenau 1830. p. 28.

28) Eius Kinderkrankheiten I. 418.

29) Naumann, Handbuch der medic. Klinik III. a. p. 850.

30) M. Ettmülleri opera medica. Cura et studio I. C. Westphali Francof. 1697. p. 253.

31) Duringe l. c. p. 28.

32) Sprengel l. c. 256.

33) Copland l. c. III. 300. et Wedelius apud Cloquet l. c. 343.

34) Küttner l. c. II. 136.

Apud Schnurrer [35]) de influenza quadam legimus, quae praesertim Turones in civitate Namnetica corripiebat; aegroti capitis dolore vexati ac mentis non iam compotes corruebant atque inter sternutandum vel oscitandum subito moriebantur.

Sternutando frequenter humores in cranio contra normam collecti evacuantur. [36])

Dr. Weyand [37]) in puella, 4 annos nata, hydrocephalo acuto laborante, oscitationem et sternutationem frequenter repetitas observavit, quas pro crisibus habere non dubitaverit.

Jos. Frank [38]) cephalaeam periodicam vidit, cuius paroxysmi constanter sternutatione solvebantur.

Si in febri scarlatinosa aegrotus de aurium tinnitu queritur, nasus siccissimus, facies maculosa fit et annulus pallidus inter nasum et os huius angulos cingit, oculi micare incipiunt et pulsus celer fit atque durus, de apoplexia hydrocephalica metuendum est. [39])

In febri scarlatinosa iam eruptionis tempore magna nasi siccitas cerebri affectionum timorem excitat. [40])

In morbillis inflammatoriis affectio inflammatoria capitis haud raro tum quidem exspectanda est, si statim ab initio membrana pituitaria nasi vehementer affecta, secretio vero non magna est, et continuus, perpetuo increscens capitis dolor, somnolentia et similia accedunt. Cuius altior quisque gradus apud infantes celerrime in hydrocephalum acutum transire potest. [41])

---

35) Eius Chronik der Seuchen. I. p. 151.

36) Burdach, Beiträge 1. p. 288.

37) Eius dissert. de hydrocephalo puerorum. Bonnae 1834. p. 28.

38) Prax. med. praec. Part. II. vol. I. sect. II. p. 964.

39) Neumann l. c. p. 429.

40) Naumann l. c. III. a. p. 850.

41) Idem ibid. pag. 677.

Siccitas narium secundum Neumann omnium symptomatum ad hydrocephalum acutum incipientem cognoscendum gravissimum est. Infantes nasum habent semper humidum omnibusque eorum in morbis, hoc uno excepto, secretio nasalis adaucta est. Sin igitur infans nasum siccum habet, minus hilaris est, quam antea, segniter sedet, capite pendulo et appetitu ciborum minuto, si terrore e somno expergefit simulque ad dormiendum temporibus insolitis proclivis atque morosus est: hydrocephalum acutum imminere pro certo concludere possumus. [42])

Siccitas nasi inter prodromos apoplexiae occurrit. [43])

Cephalalgia arthritica interdum siccitatem narium sequitur. [44])

Coryza frequenter typho ineunte observatur. [45])

Gravedo nonnunquam arachnitidi antecedit. [46])

Apud infantes a scrofulosis parentibus oriundos praesertim si saepius vina fortiora bibunt, in minima quavis affectione catarrhali nasi medicus de hydrocephalo acuto incipiente metuat oportet. [47])

Hydrocephalus acutus facile affectiones catarrhales sequitur [48]) atque in casibus eius plerisque, quos Jahn anno 1834, quum Meiningae paulo post influenzam hydrocephalus acutus parva epidemia erat divulgatus, observavit, morbum coryza cum febre vel affectio aurium praecessit. [49])

---

42) Neumann, Von den Krankheiten des Menschen. Specieller Theil. Berlin 1832. I. p. 125.

43) Copland l. c. I. 189.

44) Duringe l. c. 28.

45) Naumann l. c. I. 383.

46) Bompard l. c. pag. 10.

47) Goelis l. c. I. 89.

48) Iahn l. c. 7.

49) Ibid. 9.

Catarrho nasi simplici interdum cephalaea et vertigo magnopere sunt levatae. 50)

Coryza futuram et imminentem apoplexiam in media aetate primaque senectute versantibus salutariter arcet hominemque ab ea defendit, unde per iocum minime iocosum, sed serium sane Poloni Germanis eam invidere dicuntur. 51)

Ubi dispositio ad apoplexiam, coryza hanc facile adauget insultumque apoplecticum accelerat. 52)

Coryzam in irritabilitate cerebri adaucta criticam esse posse clarissimus Prof. Nasse docet.

In febri scarlatinosa inflammatio cavi nasi gravis est momenti. Ineunte morbo per nullum fere aliud symptoma nisi per magnum soporem cognoscitur. Sed secundo iam vel tertio die sanies flavida foetidissima et acris ex naribus vel etiam ex auribus stillare incipit nasusque obstruitur; tandem aut sponte aut arte auxiliante aperitur, sanie illa cum pure crasso commixta effluente; sopor evanescit omniaque symptomata diminui incipiunt. Verum tamen non semper res tam feliciter succedit, sed nasus, labia et digitus, quem aegrotus naribus immittit, per saniem corroduntur, haec ipsa odorem revera cadaverosum exhalat atque aegrotus die 8.—11. sub apoplexiae symptomatis moritur, nasi effluvio perpetuo increscente. 53)

Mucositates narium dolores capitis solvunt. 54)

Blennorrhoea nasalis vel nares, per longum tempus antea siccae, madefientes in mentis morbis bonae sunt notae, 55)

---

50) Naumann l. c. I. 434.

51) Queitschius in: Selecta medica Francofurtens. Tom. IV. vol. VI. pag. 427.

52) Küttner l. c. II. 281 (Schnupfen.) cf. Cloquet l. c. 609.

53) Kreysig, Abhandlung über das Scharlachfieber. Leipz. 1802. p. 22 et 81.

54) Hippocrat. Prorrh. II.

55) Rush, Seelenkrankheiten p. 207.

in idea fixa eam faustam esse cl. Prof. Nasse docet. Eadem in apoplecticis interdum vim habet criticam. [56] Sennertus [57] in apoplexia albidam pituitam ex naribus et ore profluere vidit ac Wepferus [58] observavit apoplexiae casum, in quo per totum usque ad mortem tempus multum muci subflavi praecipue ex nare dextra emanavit.

In hydrocephalo acuto sanitate redeunte cavitates nasi madefiunt. [59] Dewees [60] secretionem muci nasalis iterum incipientem inter signa felicia hydrocephali acuti numerat et Girard [61], Lugdunensis, hanc secretionem, per totum morbi spatium retentam, valde adauctam crisi solenni sanitatem reduxisse vidit.

Bonetus [62] duos casus narrat, in quibus muci graveolentis, foetidi e naribus excretio observata est, cerebro humori admodum copioso velut innatante.

Infantes haemorrhagiae narium obnoxios plerumque magis quam alios ad inflammationem cerebri cl. Prof. Nasse, et ad hydrocephalum acutum dispositos esse Kopp [63] docet.

In laesionibus capitis rationibus ceteris paribus haemorrhagia narium vel faucium signum est faustum, quippe quum tunc extravasatum internum eo minus sit timendum. [64]

Haemorrhagia narium sanat morbos capitis inflammatorios. [65]

---

56) Küttner l. c. II. 127.

57) L. c. Lib. III. c. 2.

58) Observat. de affectibus capitis. Obs. 140.

59) Brachet l. c. p. 115.

60) A practice of physic in deseases of childern. Philadelphia. 1830. I. 247.

61) Apud Brachet l. c. p. 116.

62) Eius Sepulchret. Lib. I. sect. XX. obs. 10. et 13.

63) Eius Denkwürdigkeiten. I. 214.

64) Burdach, Vom Baue und Leben des Gehirns III. 5.

65) Boerhave, Praelectiones de morbis nervorum. Lugd. Bat. 1761. I. 39.

Morbos non paucos ex hypersthenia ac morbosa vasorum capitis repletione pendentes, quin ipsam eius indolis encephalitidem promtissime interdum sanguinis e naribus fluxus disperdit. [66]

In arachnitide haemorrhagia narium saepe critica. [67]

In febribus cum capitis affectionibus coniunctis haemorrhagia capitis critica. [68]

Notarius quidam, 35 annos natus, temperamento vivido, incidit in febrem vehementem cum magno capitis dolore. Venaesectionem ad brachium et dein ad pedem institui, quae altero die ad brachium est iterata. Malo autem durante atque aucto quum venaesectionem ad pedem iterum instituere vellem, coniux denegavit. Natura vero sapientior haemorrhagiam narium excitavit quatuor fere librarum, unde aegrotus mox a febre et capitis dolore est liberatus. [69]

Qui in febre assidua voce defecti iacent et oculis conniventibus nictantur, hi evadunt quidem, si post sanguinis ex naribus fluxum ac vomitum ad loquelam et ad se ipsos redeant. [70]

Quibus in febribus aures obsurduerunt, his, nisi febris solvatur, furorem contingere necesse est. Solvit autem sanguís e naribus profluens. [71]

Surditatem in febribus enatam sanguinis ex naribus profluvium tollit. [72]

Solvuut sanguinis ex naribus eruptiones saepe phrenitidem. [73]

---

66) P. Frank, Epitom. Lib. V. pars II. p. 77 et Lib. II. p. 38.

67) Bompard. l. c. pag. 8.

68) Burdach. l. c. III. 5.

69) D. Raymond, Traité des maladies qu'il est dangereux de guérir. Avignon. 1757. I. 331.

70) Hippocr. Coac. praenot. Opera ex edit. Kühn. I. 244.

71) Eiusd. de iudicat. liber. Ed. Kühn. I. 147.

72) Eiusd. Coac. praenot. Edit. cit. I. 265.

73) Aëtii Tetrabibl. II. Serm. I. cap. 48. et v. Swieten Comment. in Boerh. aphor. 779.

Phrenesia solvitur interdum haemorrhagia narium, si synochae indolem prae se fert, cum inflammatione cerebri est coniuncta et aegrotus iuvenis sanguine abundat. [74])

Vesaniae aufugiunt sanguinis fluxu e naribus facto. [75])

Epistaxis maniae solvendae inservit. [76])

Mania ad salutem terminatur, si copiosa haemorrhagia e naribus evacuetur. [77])

Maniae per metastasin superveniens haemorrhagia narium maniam terminat. [78])

Virum iuvenem quendam aetatis anno 19. corripuit mania. Duobus mensibus praeterlapsis, ad quod usque tempus nihil profuerant medicamenta, sternutatoriis adhibitis epistaxi iterum iterumque reversa salutem recuperavit. [79])

Sanguinis ex naribus fluxus utrobique per initia melancholiae puerperarum valde commodus est. [80])

Moriae sanationem ex ictu naso illato, ita ut sanguis eruperit, perfectam observavit cl. Prof. Nasse.

Haud raro epistaxis illico ante delirii trementis accessionem observatur. [81])

Epistaxis solvit cataphoram, [82]) incubum, [83]) catalepsin. [84]) Epistaxis sub finem insultuum catalepticorum

74) Reil's Fieberlehre. Wien 1800. IV. 234.

75) Ibid. IV. 343.

76) Esquirol apud Iacobi: Sammlung für die Heilkunde der Gemüthskrankheiten, Elberfeld. 1822. I. 397.

77) Sennert. l. c. Lib. I. pars II. cap. XV.

78) M. Ettmülleri opera medica. Colleg. pract. pag. 964.

79) Esquirol in: Journal général de médicine. Tom. I. Paris. 1814. pag. 38.

80) Hippocr. Prorrhet. I. 20.

81) G. Barkhausen, Beobachtungen über den Säuferwahnsinn. Bremen. 1828. p. 20 et 45.

82) Lancisii opera. p. 100.

83) Jos. Frank, Prax. med. Part. II. vol. I. sect. I. p. 421.

84) Aëtii Tetrabibl. II. Serm. II. cap. 4.

hos ipsos ex plethora vel congestione obortos esse testatur neque raro conclusionem suppressae haemorrhagiae consuetae admittit. 85)

Apud adultos epistaxis apoplexiam avertit, 86) hominibus vero apoplexiae obnoxiis accessionem interdum minatur. 87)

Singulae sanguinis guttae ex naribus stillantes 88) sicuti exigua vel incompleta epistaxis 89) interdum apoplexiam praenuntiant.

In senibus, sanguinis ex naribus profluvio minus assuetis, apoplexiae hoc idem aliquando est prodromus, 90) metusque apoplexiae eo maior est, si haemorrhagiae narium haemorrhoides suppressas sequuntur. 91)

Mulier, menstrua retenta saepe per os et nares excernens et tandem apoplexia mortua, copiose post 36. mortis horam sanguinem per iam dicta loca eiecit. 92)

Homines aetate provecti, nisi epistaxin vitii scorbutici aut morbi cordis culpa patiantur, certissime per epistaxin proclivitatem ad apoplexiam patefaciunt. 93)

Epistaxis in apoplexia critica esse potest. 94)

J. B. Fischer 95) observavit haemorrhagiam ex nare sinistra saepius repetitam, unde torpor paralyticus lateris sinistri, ex insultu apoplectico ortus, solutus est.

Foemina plethorica, rubicunda, cum in macellum pro-

---

85) Küttner l. c. II. 120.
86) Cloquet l. c. pag. 571.
87) Esquirol in: Diction. des sciences méd. XII. 601.
88) Schmalz, Diagnostik 352.
89) Copland l. c. I. 189.
90) P. Frank, Epitom. Lib. V. pars II. p. 78. cf. Reil, Fieberlehre. III. p. 60.
91) Klein, Interpres clinicus. Francof. et Lips. 1771. p. 123.
92) F. Hildani observ. chirurg. Cent. III. obs. 12.
93) Jos. Frank, Prax. med. Part. II. vol. I. sect. I. p. 312.
94) Bompard l. c. 46.
95) Eius de senio tractatus p. 159.

dire vellet pecuniamque in mensam depositam acciperet, subito corruit humique prostrata et tota resoluta maximam sanguinis copiam ex ore naribusque profudit moxque extincta est. Quod et in alio similiter accidisse vidi, uti et aliis in ipso mortis agone et articulo luctantibus; interdum vero tunc primum, cum iam extincti essent. 96)

F. Gmelin 97) narrat morbi casum, cuius septimo die sanguis e naribus profluxit, 33. sanguis coagulatus emunctus et 56. mors insecuta est. Cranio aperto inveniebantur unciae 4—6 seri cruenti et in cerebri superficie permultum lymphae plasticae; multum sanguinis e vasis egressi hemisphaerium dextrum obtegebat et parum in basi cranii inveniebatur.

Epistaxis arcet adeoque sanat epilepsiam. 98)

Epilepsiam ex terrore ortam narium haemorrhagia sublatam observavit Hoffmannus. 99)

Epistaxes spontaneae allevant et iuvant hydrocephali chronici interni sanationem. 100)

Infans, ingenti hydrocephalo interno affectus, post largam narium haemorrhagiam est recollectus. 101)

In hydrocephalo acuto saepe ex una alterave nare paulo ante mortem nonnullae sanguinis guttae stillant. 102)

Plethoram cerebri et vertiginem sanat haemorrhagia narium. 103)

---

96) Fel. Plateri observat. lib. I. p. 13.

97) Sammlung medicinisch-prakt. Dissertationen. Herausgegeben von Weber. 2. Stück. Tübingen 1820. p. 110.

98) Raymond l. c. pag. 336 et Copland l. c. III. 306.

99) Eius medic. ration. system. Tom. IV. pars III. Francof. 1738. p. 25.

100) Goelis l. c. II. 96.

101) Storch, Kinderkrankheiten. Eisenach. 1750. I. 404.

102) Goelis l. c. I. 46.

103) Boerhaave, Praelect. de morbis nervorum. II. 620.

Vehemens et diuturnus capitis dolor interdum epistaxi sponte exorta levatur. [104])

Iuvenis quidam, in cuius hemisphaerio cerebri sinistro tumor cysticus, materiam purulentam, spissam continens, erat inventus, validam haemorrhagiam narium passus est, unde capitis dolor levari videbatur. [105])

Vir quidam hydrocephalo chronico interno laborans noctu aquae libram per nares amisit, altero autem anno in hydropem lethalem incidit. [106])

In hydrocephalo chronico interno serum cruentum per tres continuos dies per nares exstillabat, unde tumor in vertice evanuit totiusque capitis ambitus diminutus est; capite prono aqua largius effluebat. [107])

Fluidum serosum in hydrocephalo chronico per nares evacuatum observarunt Davies [108]) et Millar [109]).

Malachi Foot [110]) suum ipsius filium, 5 annos natum, hydrocephalo acuto aegrotantem curabat. Calomelas et epispastica frustra erant adhibita; morbus celeriter exitui funesto adpropinquabat. Pater sternutatorium (pulverum tabaci Macubensis) in usum vocavit. Sternutatione vehementi exorta, magna humoris limpidi copia ex naribus evacuabatur. Sternutatorio, prout aegroti conditio postulabat, longioribus intervallis vel brevioribus repetito, perfecta sanatio successit.

Tourtual [111]) observationem refert de puero bienni

---

104) Weatherhead in: v. Froriep's Notizen Bd. 45. p. 59.

105) G. Prochaska, Adnotationes academ. Fasc. III. p. 196.

106) Storch l. c. I. p. 404.

107) Baron in: Sammlung auserlesener Abhandlung. z. Gebrauche prakt. Aerzte. Bd. XXVII. p. 229.

108) The London medical Repository. 1825. April. N. 136.

109) Transactions of the medico-chirurgical Society of Edinburgh. Vol. II. 1826.

110) I. L. Brachet, Essai sur l'hydrocephalite. Paris 1818 p. 198.

111) Eius: Praktische Beiträge zur Therapie der Kinderkrankheiten. Münster. 1829. p. 87.

hydrocephalo acuto laborante, in quo sub stadio effusionis, omni ope sanitatis sublata, effluxus fluidi serosi pallide-flavescentis, turbidioris, copia unc. 1 - 1 ß, e naribus crisin salutarem effecit.

Retulit mihi, ait Jos. Frank,[112]) chirurgiae noster quondam Professor Niszkowski, se infantem omnia symptomata hydrocephali exhibentem curasse, cui inopinate enormis copia seri e naribus effluxit; quo facto aeger perfectae sanitati restitutus.

Dr. Tiemann[113]), Bielefeldensis, se plures infantes hydrocephalicos, seroso ex naribus effluxu exorto, sanitati redditos vidisse affirmat. Etiam Prof. Nasse[114]) faustum hunc exitum, morbo iam longius provecto, observavit.

Mulier, cuius in cerebro ad thalamum nervorum opticorum usque ad chiasma hydatides multumque seri in ventriculis est inventum, sternutatione exorta ad librae unius pondus lymphae per nares amisit et inde levamen sensit; morbi symptomatis postea reversis similis evacuatio iterum levamen attulit.[115])

In cerebri induratione aegrotus quotiescunque sternutavit, serum per nares amisit levatumque se sensit.[116])

In hemicrania ab ingenti seri copia inter cranium et duram meningem contenta, tum in huius falce et reduplicationibus, interdum nares e directo multo stillabant sero,

---

112) Prax. med. praec. Part. II. vol. I. sect. I. pag. 299.

113) Fr. Nasse, Ueber das häufige Vorkommen des hydrops ventriculorum cerebri bei Kindern und dessen grosse Tödtlichkeit. in: Medic. Zeitung, herausgegeben von dem Vereine für Heilkunde in Preussen. Jahrgang III. 1834; atque in: Analecten über Kinderkrankheiten. Heft VI. Stuttgart 1835. p. 51.

114) Ibid.

115) Kaltschmid, de nervis opticis in cadavere latis inventis. Ienae 1752. in: Halleri Disputationes ad morbor. hist. et cur. facientes. Laus. 1747. I. 375.

116) Meckel in: Ac. de Berlin. 1764. p. 69.

quam vacuationem aegra laetissime ferebat, quod per menses integros postea concederet dolor. [117]

Foemina querebatur de hemicrania dextri lateris frontem potissimum infestante, adeo ut oculos vix aperire valeret. Ab administrata V. S. et pilulis cephalicis peius habuit; aiebat se vertigine corripi ad quemvis motum capitis et quocunque inclinaret caput, eo impendere vesicam aqua plenam. Applicantur ad aures vesicatoria, formantur turundae immerguntur que in spiritum salis Armon. volatilem spiritusque per nares in cerebrum attrahitur. Non diu his remediis usa stillicidium ipsi aquae ad tactum frigidissimae accidit et maxima copia, unde dolores evanuerunt. [118]

Novi foeminam illustrem, cephalaea immani nec non vertigine et crebris spirituum animalium deliquiis infestari solitam, quae cum a gravi paroxysmo melius habere coepisset, primo in cerebri fastigio motum formicantem, velut aquae irrepentis, sentiebat: dein motu isto paulatim anterius et deorsum progrediente demum aquae limpidae plures guttae e naribus extillabant. Hoc symptoma illi passim obtingere solebat, ut minime dubitaret aegrotans, quin lympha ista ex ipso cerebro extillaverit. [119]

Novi aliquos scotomiae et affectibus vertiginosis valde obnoxios, quibus sub finem paroxysmi aquae limpidae ingens copia extillarit (ex naribus); eiusmodi evacuatione, velut critica, paroxysmus terminari solebat. [120]

Capitis morbo vehementer affecto, si pus per aures aut nares effluxerit, morbum solvit. [121]

J. Rhodius [122] de puero 14. annorum narrat, qui

117) Boneti sepulchret. Lib. I. sect. I. obs. 18.

118) Ibid. append. ad obs. 18. modo dictam.

119) Th. Willis, Cerebri anatome. Londini. 1664. Cap. XII. p. 80.

120) Idem ibid.

121) Hippocr. de iudicationibus liber. Opera ex edit. Kühn. I. 148.

122) Eius obs. Cent. I. obs. 42. Cf. Herc. Saxon. tract. c. III.

die morbi 11. a phrenitide luculento puris fluxu per interiorem oculi angulum et nares liberatus est.

Excretio materiae cruentae, saniosae e naribus observabatur in homine, cuius cerebrum et cerebellum in parte dextra omnino saniosum, putridum est inventum. [123])

In cerebri suppuratione purulentam ex naribus excretionem Frank [124]) vidit.

Storch in libro: Kinderkrankheiten, se plures casus puris in cerebri abscessibus per nares excreti communicasse dicit in ephemeridibus [125]) a se ipso editis.

Slevogt [126]) de viro narrat, qui, postquam asses in capite longe tulit, dolore capitis vehementi vexatus, septimo die sanguine et pure per nares effluxis, ad sanitatem rediit.

Puella undecimo die post ictum in ossis parietalis partem anteriorem illatum capitis dolore vehementi, vertigine et febri corripiebatur. Die 17. dolor migravit versus nasum; 14 inde post dies pure magnopere foetido emuncto largoque sudore exorto, omnia symptomata disparuere. [127])

Homo capite vulneratus ex sopore duodecimo post laesionem die exorto recollectus est, effluvio materiae crassae e nigro rubrae per nares facto. [128])

Alius in medio osse frontali vulneratus sanatus est, postquam sternutatorio inflato sternutando sanguinem et pus per nares ediderat. [129])

---

123) Boneti sepulchr. Lib. I. sect. XX. obs. 12.

124) Eph. N. C. Dec. II. ann. 6. obs. 193. Cf. F. Lallemand, Anatomisch-patholog. Untersuchungen über das Gehirn. Deutsch v. K. Weese. Leipz. 1825. 4r. Brief. Nro. 36, 37 et 38.

125) Storch's Jahrgänge III. IV et V. Cf. Foresti observationum lib. X. obs. XI.

126) Haller disp. II. 817.

127) Dupreé de Lisle in: Sammlung der auserlesensten und neuesten Abhandlungen für Wundärzte. Bd. VI. p. 182.

128) Loder in: Buchholz Beiträge IV. 50.

129) Schmucker III. 126.

Novi foeminam Viennae, ait Plenciz,[130] quae viginti annorum cursu circiter trigesies cephalalgia febrique corripiebatur. Pure prodeunte ex auribus naribusque copioso foetido ad tempus convaluit, medio anno post redeuntibus iisdem malis. Nec vitio auditus nec odoratus laboravit et tandem 64. aetatis anno ex hoc morbo enecta, in calvaria copiosum pus in fundo cranii haerens, sed nulla via, qua in aures et nares profluxerit.

Homo quidam interdum de dolore in sincipite cum puris ex naribus profluvio querebatur; tandem obliviosus fit, delirat et comate detentus moritur. Invenitur os ethmoideum cariosum, durae matris huic adiacens pars affecta atque pus inter hanc ac cerebrum.[131]

Femina mediae aetatis propter conditiones maxime complicatas, interdum hystericas, magno in periculo erat, ne mente caperetur. Statim post arnicae usum pus cruentum ex naribus effluxit atque ex hoc ipso momento aegrota sanitati erat restituta.[132]

H. Hoffmann[133] narrat de aegrota, cuius e nare dextra puris effluxum a suppuratione lobuli anterioris dextri cerebri derivat.

Si infantes saepius nasum digitis ambeunt eosve in nares intrudunt, hydrocephalus acutus incipiens metuendus est.[134]

---

130) Ios. de Plenciz, Acta et observata medica. Pragae et Viennae. 1783. p. 51.

131) Abercrombie, Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks. Uebersetzt von v. d. Busch. Bremen. 1829. 54.

132) Anzeige eines erprobten Heilmittels der so genannten Geisteskrankheiten. (Eine erläuternde Zugabe zu: Die merkwürdigen Eigenschaften der veredelten Wohlverleih-Blume (Fl. Arnicae) als Schutz- und Heilmittel bei den Typhoidischen Epidemien). Ostermesse 1836. Mainz.

133) Vid. huius comment. pag. 9. Nro. 69.

134) Jahn's Versuche I. 26.

Tussis infantum, si ei hydrocephalus acutus incipiens supervenit, singularis fit indolis, ita ut per nasum sonet. [135]

III. *Pars aetiologica.*

Sternutatio si quando modum excedat, in veram convulsionem degenerare potest. [1])

Duo pueri cum certarent, sternutationum numero et frequentia quis alterum superare posset, alter eorum in epilepsiam lethalem incidit, alter in vertiginem periculosam. [2])

Quidam, quem novi, sternutantem salutavit; mox ipse iam sternuens morbo comitiali implicabatur, cui erat obnoxius. [3])

Interdum ex sternutatione per artem suppressa exorta est epilepsia. [4])

Ex sternutatione frequenter iterata coecitas [5]) et apoplexia [6]) sunt ortae. In casu posteriore plerumque vasa cerebri disrupta vel saltem turgida, [7]) etiam membranae cerebrum cingentes disruptae [8]) inveniuntur.

Praesertim apud homines vertigini obnoxios sternutatio saepius apoplexiam efficit. [9])

---

135) Kopp's Denkwürdigkeiten I. 200.

1) Morgagni, De sed. et caus. morb. Epist. XIV. 28.

2) G. W. Wedelii amoenitates materiae medicae. Ienae 1704. p. 457.

3) Schneideri liber de catarrhis specialissimus p. 290.

4) Ettmülleri opera. p. 253.

5) Fabr. Hildani observat. chirurg. Centur. I. obs. 24.

6) Morgagni l. c. Epit. III. 12. et Famianus Strada apud Lancisium: De subit. mort. pag. 35.

7) Ibid. Epist. XIV. 27.

8) Boneti sepulchr. Lib. I. sect. XX. obs. 17.

9) Küttner l. c. II. 137.

Ex nariam obstructione, per mucum copiosum atque tenacem effecta, magna capitis gravitas cum insigni stupiditate orta atque usu emollientium externorum et errhinorum valentiorum sublata est. [10])

Infantes, lymphatica, laxa corporis constitutione instructi, frequenter coryza corripiuntur, quae saepe chronica evadit; mucus purulentus, crassus tunc nares obstruit, impedit infantes, quominus rite sugant eosque irritabiles reddit, dum quovis sugendi conatu sanguinis per pulmones et cerebrum motus ita perturbatur, ut adeo convulsiones oriantur. [11])

Ex coryza apud infantes facile evolvitur encephalitis. [12])

Inflammationem cerebri post refrigerationem ex coryza chronica ortam observavit Dr. Sandrock. [13])

P. Frank [14]) conspexit virum, cui a narium catarrho per duos fere menses protracto, vehemente, obscuritas visus, aurium susurrus, loquelae difficultas, circuli calvariam cingentis sensus, tremor maxillae cum epileptico insultu sat frequente ac cruris manusque e latere sinistro debilitas conspicua, quin alia istorum causa apparuerit, non sine aquae in cerebri ventriculis collectae metu, successerant.

Vehemens cavitatis nasi inflammatio hydrocephalum acutum efficere potest ac plerumque apoplexiam hydrocephalicam gignit. [15])

Dispositione data coryza inflammatoria hydrocephalum chronicum internum efficit, praesertim apud neonatos atque infantulos. [16])

---

10) I. Fr. Cartheuser, Dissertat. selectiores. Francof. 1775.

11) Copland l. c. II. 36.

12) I. Frank, Prax. med. part. II. vol. I. sect. II. p. 975.

13) E. L. J. Siebold's Journal für Geburtshülfe. Bd. XII. 1832. p. 137.

14) Eius Epitom. Lib. V. pars I. p. 79.

15) Goelis l. c. I. 96.

16) Ibid. II. 85.

Frequentissime hydrocephalus acutus ex levi illa membranae pituitariae inflammatione, coryza plerumque nuncupata, oritur. Haec autem non est metastasis, sed perspicue migratio atque reptatio irritationis pathologicae ad alias partes. In pluribus equidem infantum hydrocephalicorum sectionibus os quoque ethmoideum interne inflammatum inveni, per quod membranae pituitariae inflammationem ad cerebrum propagatam esse patet, ubi tum exsudationem effecit. Ad eiusmodi vero coryzae migrationem semper cerebri eiusque membranarum proclivitas ad morbum suscipiendum erit necessaria, quae quidem propter physiologicas cerebri infantilis conditiones praesertim dentitionis tempore haud facile desiderabitur. 17)

Dupuytren apud anum quandam polypi nasalis permagni ligaturam suscepit; secundo post hanc tertiove die sequebantur deliria, motus convulsivi, tum coma atque septimo vel octavo die mors. Polypus ex sinubus frontalibus radices cepit, quibus putrefactis sinus materie puriformi erant impleti. Dura mater adiacens ab osse erat soluta, rubra, facilis diruptu atque una cum basi cranii pure obtecta; in pluribus locis lateris inferioris utrumque hemisphaerium iniectum erat, violaceum atque emollitum. Similia symptomata vidit Lallemand post extractionem polypi, cuius radix ad fornicem cavitatum nasi spectabat, aegrotus vero non mortuus est. 18)

Ex suppressa coryza Sundelin apud infantes malignas cerebri affectiones exortas vidit. 19)

---

17) Jahn, Versuche. I. p. 33.

18) F. Lallemand, Untersuch. über das Gehirn. Uebersetzt v. Weese 4r Brief. pag. 316.

19) Berends, Vorlesungen über prakt. Arzneiwissenschaft, herausgegeben von K. Sundelin. Berlin 1827. Bd. IX. p. 250.

Blennorrhoea nasalis suppressa arachnitidem [20]) et apoplexiam [21]) efficere potest.

Non ita pridem virgo cephalaca immani diu affligebatur atque inter medios cruciatus multum seri flavi et tenuis quotidie naribus effluebat. Novissima hyeme haec excretio aliquamdiu substitit et tunc demum aegrotans et capite deterius habente in convulsioues atroces cum stupore incidebat, atque intra triduum apoplectica interibat. Capite aperto latex eiusmodi flavus cerebri anfractus profundiores eiusque cavitatem interiorem seu ventriculos inundabat. [22])

Ex cessante puris per nares effluxu Prof. Nasse symptomata compressionis cerebri prodire vidit.

Epistaxis suppressa efficit morbos capitis inflammatorios [23]), phrenesiam, [24]) maniam melancholicam, [25]) hydrocephalum acutum, [26]) sopores, [27]) apoplexiam [28]) hemiplegiam, [29]) dysphagiam, [30]) coecitatem subitam, [31]) susurrus,

---

20) Bompard l. c. 2.

21) Lullier-Winslow in: Dict. des sciences méd. II. 241.

22) Willis, Cerebri anatome. Cap. XII. p. 80.

23) Raymond, l. c. p. 333—334; Bompard, l. c. 2; P. Frank. Epitom. lib. II. 36.

24) Reil, Fieberlehre IV. 357.

25) Jos. Frank, Prax. med. part. II. vol. I. sect. I. p. 742.

26) Goelis l. c. I. 190; Bompard l. c. 18; Cruveilhier, Médicine pratique éclairée par l'anatomie et la physiologie pathologiques. Cahier I. Paris 1821. p. 26.

27) P. Frank, Epitom. Lib. V. pars II. p. 77.

28) Commerc. literar. Norimberg. ann. 1732. pag. 324; Fabr. Hildanus, Observ. chirurg. Cent. II. obs. 11; Ephem. Nat. cur. Dec. III. ann. V et VI. obs. 248.

29) Bartholin. Cent. IV. hist. 69.

30) P. Frank. l. c.

31) Selecta medica Francofurtensia. 1736. Vol. I. p. 95; Fabr. Hildan., l. c. VI. 5.

tinnitus aurium, epilepsiam,[32] convulsiones, vertiginem, cephalaeam,[33] delirium.[34]

De odorum effectu cf. in cerebrum praeter Cloquetii librum, Osphrésiologie inscriptum, praecipue celeberrimi Professoris Harless egregius tractatus de Osmologia medica in Eius: Opera minora academica. Lips. 1815. T. I. p. 231 sq., ubi clarissimus Auctor dicit: „Ex odoramentorum pulverum aliarumve compositionum fumalium, ex balsamo peruv., styrace, benzoë, myrrha, mastiche, olibano, floribus aromatisque variis, iunipero etc. paratarum, iusto fortiore vel longiore in nervos cerebrumque actione facile creberrimeque gignuntur cephalalgia, haud raro vehementior et vere nervosa atque diuturna, vertigo, nonnumquam repentina et apoplexiam minitans, syncope et eclipsis, quin imo asphyxia nec non amnesia; interdum delirii species. Ex odoribus spirituosorum et quorundam narcotico-acrium (nicotianae), tum vaporis vel aëris carbonici nec non ex odoribus, evolutis ex quibuscunque fere corporibus fermentantibus itidemque ex empyreumaticis (e. gr. ex partibus animalibus, crinibus, plumis, coriis, ossibus etc. combustis, e candelae sebaceae carbone fumante etc.), porro e calce viva, acidis mineralibus fumantibus et similibus, pro vario odorum gradu variaque hominum diathesi proveniunt motus vasorum celeriores, inordinati, febriles, hique non raro sat insignes, congestiones sanguinis ad cerebrum et pulmones cum ipsarum suetis effectibus, calore corporis capitisque in specie aucto, tremoribus musculorum, eorundem crescente sub talium odorum continuato usu debilitate, ipsorum denique multifariis motibus convulsivis. Unde haud raro ex

---

32) V. Swieten, Comment. in Boerh. aphor. 1075. 5.; Tissot, Traité de l'epilepsie p. 135.; P. Frank, Epitom. Lib. V. pars II. p. 77.; Hagendorn, Observation. Centur. I. hist. 20.

33) P. Frank l. c.

34) Gabelchover, Curation. et observat. medicin. Cent III. cur. 78.

odoribus gravioribus non solum hystericos spasmos in feminis aliasque convulsiones, sed ipsam quoque epilepsiam exortam esse comperimus. Sic v. c. Amman (medic. crit. consil. 59.) epilepsiae ex fumo candelae (empyreumatico) oriundae et Vallisneri eiusdem morbi ex vaporibus nimis acribus profecti meminit. Ipsum adeo tetanum ex ptarmicorum nimis vehementium abusu produci posse, iam Hippocrates (de internis affect. sect. 14.) observaverat posterique confirmaverunt. — Qui tandem narcotica vi agunt odores, sive stupefaciendo, et cerebri sensoriique interni energiam obtundendo, quales sunt inprimis opii, hyoscyami, croci, nicotianae recentis eiusque fumi, solanorum, cicutae plurimarumque aliarum ex umbelliferarum ordine, nec non laurocerasi omniumque corporum acidum coeruleum summe stupefaciens ex se evolventium, tum etiam potuum fermentantium aliorumque spirituosorum fortiorum vel cum narcoticis rebus paratorum, paritcrque aërum quorundam cum hydrogenio compositorum odores, — horum effectus proprii et singulares praeter eos, quos aliqui eorum in leviori usus gradu aut in corporibus eorum usui iam adsuetis tamquam stimuli incitantes habere possunt, sequentes potissimum sunt recensendi:

1) Gravitas cerebri, sensuumque tam interni quam externorum varia turbatio, perversio, idearum confusio, crescens sensim aut repentinus fere stupor atque narcosis, ideoque sensationis nervosae non solum hebetudo adeoque abolitio, sed etiam facultatum animi obnubilatio, quin imo interdum extinctio aut vesana fatuitas.

2) Status somnolentus aut maiore narcoseos gradu soporosus, in carum, lethargum, quin ipsam mortem facile transiens.

3) Anxietatis et oppressionis in pectore sensus, oriundus a sanguinis paralytica accumulatione in pulmonum cordisque vasis maioribus. Quod tamen symptoma ut plurimum tantum in maiore narcoseos fortioris gradu, quo vel statim vel

citissime summa fibrae et nerveae et muscularis asthenia cietur, observari solet.

4) Reliqui systematis nervorum debilitatio, saepe perquam insignis, atque ipsa nisi primaria s. immediato (quem dicunt) modo istius generis odorum usum sequens, certe multo citius distinctiusque (ac ex aliis odoribus fieri solet) sequens, faciliusque in veram paralysin abiens.«

Omnes odores fragrantiores et penetrantiores maiori copia naribus hausti vertiginem, cephalalgiam, apoplexiam, [35]) epilepsiam, delirium, carum, coma, lethargum et mortem ipsam efficere possunt. [36])

Soporem profundum ex decubitu sub foeno observavit F. Hildanus. [37])

Schubart [38]) de iuvene narrat, qui, post lapsum in hypochondrium dextrum motibus convulsivis obnoxius, quotiescunque odorem sive gratum sive ingratum percipiebat, subito in epilepsiam incidebat.

Odorem florum brassicae rapae, cannabis, [39]) ranunculorum [40]) epilepsiam provocasse observatum est.

Odor florum fabarum primo facit plenitudinem capitis, cui si quis nimis indulget ebrius inde redit, imo adeo potest affici, ut in apoplexiam incidat. Similem effectum sentiunt illi, qui crocum sarcinis includunt vel tales sarcinas aperiunt. [41])

Locus est in Scotia situs, ubi plumbi vaporibus vesania oritur; homines inde correpti morsu manus sibi lacerant

---

35) Heister, Wahrnehmungen I. 792.

36) Triller, Tractatus de morte subita ex nimio violarum odore oborta Eius Opusc. a Krause edit. vol. I. p. 237.

37) Eius observat. chirurg. cent. VI. obs. 85.

38) Tissot, l. c. 165.

39) Tissot, l. c. 164.

40) Ephem. Nat. curios Dec. III. ann. IX et X. obs. 92.

41) Boerhaave, Praelect. de morb. nervorum I. 197.

reliquasque corporis partes dilaniant. Dr. Prost vesaniam describit furibundam in Peru obviam, quae vaporibus metallicis gignitur, metallum vero, unde prodeant, haud indicat. Observatur, homines colore coeruleo inficientes, quem ad finem indico utuntur, morosos fieri animo demisso. [42]

Dispositione data odores fortes hydrocephalum acutum efficere possunt, [43] iidemque valde ingrati olfactum prorsus delere queunt. [44]

Ex nimia tabaci ptarmaci usu observata est apoplexia, [45] coecitas, vertigo, lethargus. [46]

Pulveris Nicotianae abusu J. Pringle memoriam amisit, quam pulvere seposito maximam ad partem recuperavit. [47]

Pus, aqua, lapides, per nares in corpus illata, animi morbos efficere possunt. [48]

Duo homines, cum crucas per nasum extruderent, insaniam abiecerunt. [49]

Rusticus maniacus, sternutamento forte excitatus, excreta cruca curatus est. [50]

Insecta aliaque corpora in naribus ipsis vel in sinubus frontalibus versantia, aliquando anosmiam, iacturam loquelae, convulsiones, delirium [51] et vertiginem dirissimam [52] excitare possunt.

---

42) Rush, Seelenkrankheiten. p. 20.
43) Goelis l. c. I. 93.
44) Graves in v. Froriep's Notizen XLII. p. 255.
45) Cheyne, Apoplexy and lethargy. p. 149.
46) Triller, Dissert. de tabaci ptarmaci abusu in: Eius opusc., edit. a Krause I. p. 232.
47) Rush l. c. 228 et 230.
48) Reil, l. c. IV. 356.
49) Sauvages, Nosolog. tom. III. pars I. p. 405.
50) N act. natur. cur. Ann. IV et V. obs. 37.
51) Jos. Frank, Prax. med. vol. II. part I. sect. II. pag. 979—981.
52) Boerhaave l. c. II. 634.

Lempriere[53]) narrat de femina, apud quam, quum febri acuta esset afflicta, insecta viam sibi ex naribus per os cribriforme in cranii cavum aperiebant et tandem in cerebrum ipsum penetrabant, unde femina est mortua.

Storch[54]) describit epilepsiam ex abscessu in cavitate nasi haerente ortam, quae abscessu dirupto evanuit.

Pus in sinu frontali, lamina eius interna ad cerebrum protusa, soporem ac stuporem et ea dirupta apoplexiam inducere potest.[55])

---

53) Observations on the Deseases of the Army in Iamaica Vol. II. p. 182.

54) Kreysig, Abhandlung über das Scharlachfieber. p. 83.

55) Richter, Observ. chirurg. Fasc. II.

VITA.

Ego Hub. Christ. Wieler anno huius saeculi undecimo Novesii natus sum patre, quo vivente laetor, Henrico Iosepho, coriario, matre Catharina Antonetta e gente Hüsen, quae ante viginti annos acerbo funere nobis erepta est. Religionem profiteor catholicam. Quindecim annos natus collegium Novesianum frequentavi, ubi quum per tres annos et dimidium essem commoratus, Coloniam Agrippinam me contuli, studiis in gymnasio Frid. Guilelm. operam daturus; sed iam post sex menses in alterum, quod in eadem urbe, Clarissimo Directore Birnbaum, floret, gymnasium, catholicum dictum, transii, unde post duos annos et dimidium, maturitatis testimonio instructus, Almam hanc Universitatem Frid. Guilelm. Rhenanam petii. Quod factum est auctumno a. 1832. quum cl. Prof. Walter esset Rector Magnificus et cl. Prof. Harless Gratiosi Medicorum Ordinis Decanus, apud quem nomen sum professus.

Quibus per quinque hos annos lectionibus interfui, hae sunt:

I. ***Philosophicae:*** Introductio in philosophiam, logice et psychologia apud cl. van Calker; historia philosophiae apud cl. Windischmann; de ethices iurisque naturae principiis ac ratione apud cl. Brandis; encyclopaedia philologiae et interpretatio odarum Pindari electarum apud cl. Welcker; historia temporis novissimi et de re argentaria et mensaria apud cl. Hüllmann; physica et chemia experimentalis ac phytochemia et zoochemia apud cl. G. Bischof; botanice apud cl. Treviranus; zoologia et zootomia apud cl. Goldfuss; mineralogia apud cl. Noeggerath; elementa linguae anglicae apud cl. Strahl.

II. *Medicae.* Encyclopaedia et methodologia artis medicae apud cl. Müller; anatomia c. h. et comparata apud cl. Maier et Weber, qui etiam in arte cadaverum dissecandorum me instituere; physiologia apud cl. Weber; patholog. et semiologia generalis apud cl. Albers; materia diaetetica, geographia, hydro- ac balneographia medica, expositio Hippocratis libri de decore et honest. medici, pathologia et generalis et specialis, ac materia medica apud cl. Harless; privatissimum pharmacologicum, formulare, medicina forensis et epizootiae apud cl. Ernest. Bischoff; therapia generalis et specialis, anthropologia, physiologia ac pathologia cerebri, de educatione medici, de curanda insania apud cl. Fridr. Nasse; anatomia pathologica, doctrina de ossium fracturis et luxationibus atque de instrumentis chirurgicis apud cl. Herm. Nasse; chirurgia generalis et specialis, praecepta operationum chirurgicarum, morbi oculi humani, anatomia chirurgica apud cl. Wutzer, qui idem in operationibus in cadavere instituendis mihi dux fuit; ars obstetricia, doctrina de instrumentis obstetriciis apud cl. Kilian; qui idem in exercitationibus in phantomate obstetricio instituendis moderator mihi fuit; pathologia et therapia morborum chronicorum apud cl. Naumann.

In clinico propaedeutico per menses sex, in therapeutico per annos duos cl. Frid. Nasse, in clinico chirurgico auscultanti per annum dimidium atque practicanti per annum cl. Wutzer, in clinico obstetricio auscultanti per annum dimidium, practicanti per annum cl. Kilian mihi duces fuere.

Quibus praeceptoribus omnibus dilectissimis et optime de me meritis grates ago semperque referam, quas possum maximas.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Euthanasiae promovendae cura inter medici officia sanctissima numeranda.*
2. *Cuius indolis medicus sit, ex eo, quod de materia medica sciat vel nesciat, cognoscitur.*
3. *Homoeopathia, ab Hahnemanno tradita, a scientia rationali aliena.*
4. *Nulla morborum cutaneorum cura probanda, nisi quae cutis conditionem vitalem respiciat.*
5. *Masturbatio non directa via in cerebrum agit et hanc ob causam etiam non immediato, quem dicunt, modo animi morbos efficit.*
6. *Vomicae pulmonum, etiam vacuae factae, non semper pectore loquente, cavernosa et tussi et respiratione produntur.*
7. *Singularum cataractae operandae methodorum nulla optima, nulla pessima.*
8. *In herniis mobilibus cura palliativa radicali praeferenda.*
9. *Cranii fracturae sive cum depressione sive sine depressione illico terebrationem possunt.*

10. *Dilatatio orificii uterini incruenta operatio est prorsus dubia.*

11. *Perforatio foetus non pelvis angustia sola multoque minus certo huius angustiae gradu indicatur.*

12. *Sectione caesarea facta placenta per uteri vulnus, non vero per vias naturales removenda.*